

1. Budde (Joh. Franc.) Epistola in nuncupatam quorundam Ministrorum Ecclesiae in Silesia vindicandam Spectans. 1723.

2. Bücher (Christ. Frid.) theses orthodoxae 1702.

3. Chladenij (Mart.) diss. Listen. de maxima ex consilio Gamalielis cavendam, Witten. 1719.

SPECIMEN
PHYSICAE AD THEOLOGIAM NATVRALEM ADPLICATAE, SISTENS NOTIONEM INTELLECTVS DIVINI PER OPERA NATVRAE ILLVSTRATAM,

QVOD

IN ALMA FRIDERICIANA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO CAROLO

PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENB.
RELIQUA.

PRAESIDE

CHRISTIANO WOLFIO

S. R. MAI. BORVSS. CONSIL. AVL. MATHEM. ET PHYS.
PROF. PVBL. ORD. SOCIETATVM REGIARVM
BRITANNICAE ET BORVSSICAE
SODALI,

Die VII. Augusti A. MDCCXVII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

SIGISM. FERDINANDVS Weismüller/
Onoldo Franc.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITERIS JOH. CHRISTIANI ZAHNII, Acad.
& Senat. Typogr.

VIRIS

PERILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, SVMME REVERENDIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS ATQVE DOCTISSIMIS

DN. IOAN. PHILIPPO Baumgärtner/

Seren. Principis Brandeburgici Consiliario intimo, Consistoriique Præsidi perillustri

DN. HELVICO CHRISTOPHORO SINOLDO dicto Schütz/

a consiliis intimis Seren. Principis Onoldo Brandeburgici, & Consistorii Præsidi vicario excellentissimo.

DN. IOANNI WILHELMO von der Lith/

S. S. Theol. Lic. Templi Parochialis, quod Onoldi est, Pastori summe reverendo & Consistoriali.

DN. BENED. ANDREÆ Stautacher/

S. S. Theol. Lic. Templi Aulici & Cathedralis ibidem Pastori longe meritissimo, Confessionario Seren. Prinbipis & Consistoriali,

nec non

DN. IO. SIGISMVNDO Reisenleiter/

Consistoriali itidem spectatissimo,

PATRONIS SVIS OMNI HONORE PROSEQVENDIS

HASCE LABORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS

submissa mente

offert, dicat, dedicat

AVCTOR.

VIRI PERILLUSTRES, MAGNIFICI, SVMME REVERENDI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ATQVE DOCTISSIMI,

BInas lapsis hominibus vias ad restaurandam in ipsis DEI cognitionem videmus: vnam rationis, alteram reuelationis. Quemadmodum vero in hac posteriori veram Θεογνωσίαν quam præclarissime monstratam, ab omnibus peruersæ rationis tricis liberatam, & in tantum, vt ad salutem sufficiens sit, fastigium euectam admiramur: ita nihilo tamen minus ipsæ sacræ litteræ ex recto rectæ rationis vsu multa videntur supponere. Ipsam quippe exsistentiæ diuinæ veritatem non demonstrat, sed eamdem ex rebus creatis, ipsiusque animæ nostræ, ad similitudinem DEI efformatæ, natura legitime ratiocinando iubet deducere teste Paullo Rom. I, 19. 20.

quid

quid quod & attributa diuina non aliter, quam cognita ex ratione allegat, qua de caussa in obcæcatis gentibus idem Apostolus grauiter hoc culpat, quod verum Numen, non procul a quolibet exsistens, non inuenerint, manibusque quasi palparint. Act. XVII, 27. Accedit, quod perniciosissimos veritatis reuelatæ oppugnatores, non alio, quam eo, quo nos petunt, gladio, sanis nempe ratiociniis deuincere, eorumque conatus irritos reddere valeamus. His igitur probe expensis rationibus, quæ, quantum in sacris quoque rebus momenti habeat Philosophia vera, perspicue docent, studia profundiora sanioris Metaphysices atque Matheseos non a primo tantum limine salutanda duxi. In quo licet adhuc subsistere iubeat & ingenii imbecillitas & rei grauitas; (ipsi enim ἰσάγγελοι facti in perscrutandis operibus diuinis proficere iisque delectari non cessabimus,) specimen tamen hoc, quamlibet leuidense crassoque filo contextum, operæ in doctrinas Philosophicas adhuc collatæ, in lucem edere non erubui. Audaciæ crimen subiissem excellentissima nomina VESTRA exercitationi huic Academicæ præfigens, nisi argumentum eius, licet minus digne tractatum, dignum tamen auctoritate VESTRA arbitrarer; nisi denique

fauo-

fauorem VESTRUM ac beneuolentiam, & beneficia inde in me minime meritum a teneris vnguiculis deriuata cognita haberem atque perspecta. Offero itaque exiguum hoc munusculum, grati animi tesseram, nullus dubitans, eum ipsum fauorem VESTRVM, qui adhuc Phari instar studiis meis facem prætulit, facilemque viam dedit, voluntatem pro opere gratiose accepturum. Quod reliquum est, seruet summum Numen, sospitet & omni prosperitatis genere cumulet tantos Viros in patriæ salutem natos! Largiatur illud, inque dies augeat vires ad seram vsque senectam tantis muneribus subeundis pares, in immensum & rei sacræ & ciuilis emolumentum, quod ad finem vitæ vsque toto pectore vouebit

VIRI PERILLVSTRES cet.

PERILLVSTRIVM NOMINVM
VESTRORVM

Cultor deuotissimus

S. F. WEISMULLERVS.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DN. RESPONDENTI

S. D.

PRAESES.

NOn vanum fuit consilium Virorum & eruditionis, & pietatis fama conspicuorum, qui Tibi Autores extiterunt, vt antequam ad literarum sacrarum studium animum appelleres, in Mathesi atque Philosophia cum laude versareris. Mathesis enim, iudice *Melanchthone*, futuri Theologi judicium acuit, eumque moderatum reddit, ne tum inopia iudicii, tum quia diserte nihil explicare potest, spargat aut defendat opiniones absurdas & confusaneas, ex quibus in Ecclesia magna certamina, magnæ dissensiones existunt, neque etiam cæco affectuum impetu abreptus dissentientibus bilem moueat, vt ira præpediti verum cernere non possint. Philosophiæ studium tum ad notiones distinctas perfectionum præsertim diuinarum atque officiorum nostrorum, siue erga DEum, siue erga homines prodest, tum etiam principia suppeditat, quibus in ipsa Theologia vtaris, vbi ex dictis scripturæ conclusiones inferre decreueris, quæ ibi diserte non continentur: vt taceam, quod Philosophia opus sit ad profanorum hominum obiectiones amoliendas. Quantum in hisce studiis profeceris, publice nunc comprobare intendis. Probabunt Patroni institutum: DEus vero faxit, ut in itinere coepto felix progrediaris. Vale. Dabam e Musæo meo d. 2. Aug. A. 1717.



SPECIMEN
PHYSICAE AD THEOLOGIAM NATVRALEM ADPLICATAE, SISTENS NOTIONEM INTELLECTVS DIVINI PER OPERA NATVRAE ILLVSTRATAM.

§. I.

Equidem ad notiones perfectionum diuinarum peruenimus, dum mentis nostræ perfectiones intuemur, easque a limitationibus liberamus, vt infinitatem, seu gradum summum consequantur: nemo tamen est, quin seria vsus animi attentione fateatur, notiones istas, etsi sua gaudeant claritate, nec prorsus confusæ existant, adæquatas haud quaquam esse.

§. II.

Rationem ipsa notionum indoles alibi a Dn. Præside explicata suppeditat. Non distincte nimirum percipimus notas, quibus perfectiones diuinas a perfectionibus aliorum spirituum, ex gr. mentis nostræ, discernimus: cum enim infinita inuoluant, mens ad eas attendens confundatur omnino necesse est.

§. III.

Quia tamen opera naturæ perfectiones diuinas, quarum intuitiua cognitione destituimur, tanquam in speculo repræsentatas exhibent: si eadem rimemur, fieri sane potest, vt notiones notarum, quas modo memorauimus, distinctæ quodammodo euadant, sicque aliquid infinitatis, qua animos nostros perplexos reddunt, comprehendamus.

§. IV.

Nobis quidem exemplo intellectus diuini id edocere in præsenti propositum est, tum vt ad naturæ contemplationem eorum animos inflammemus, quibus DEI cognitione nihil prius est, nihil antiquius; tum vt euidenter ostendamus, quomodo in scrutanda natura versari debeat ab ea in Auctorem eius adscensurus.

§. V.

Intellectus diuinus est repræsentatio omnium possibilium simultanea & distincta, aut, si mauis, adæquata. In eo scilicet conuenit cum intellectu humano, aliorumque, qui vel actu dantur, vel dari saltem possunt, spirituum, quod sit actus, quo possibilia repræsentantur, seu tamquam præsentia exhibentur. In eo autem differt, quod in DEO repræsententur possibilia *omnia*, & quidem *simul* atque adæquate.

§. VI.

Ad hanc intellectus diuini notionem quomodo perueniatur, ex iis patet, quæ paullo ante (§. I.) diximus. Nimirum experimur in nobis *vim possibilia repræsentandi*, quam *intellectum* vocamus; sed eam duplici limitatam ratione, cum respectu obiecti materialis, tum formalis. Illud enim quod attinet, non omnia possibilia, sed aliqua saltem nobis repræsentare valemus; alterum quod attinet, possibilia nobis repræsentamus successiue, pauca distincte, multa confuse, plurima obscure: quæ quidem intelliguntur & probantur per ea, quæ in tractatu Germanico von den Kräfften des Verstandes, & in commentatione de methodo mathematica elementis latinis metheseos vniuersæ præmissa (§. 4. seq.) tradidit Dn. Præses. Agedum itaque! missas faciamus limitatio-

tationes istas, & *possibilibus quibusdam* substituamus *omnia; successiuitati, simultaneitatem; obscuritati, claritatem; confusioni, distinctionem*: ita notio intellectus imperfecti seu limitati degenerabit in notionem summe perfecti vel illimitati, quæ est notio diuini.

§. VII.

Non illa destituitur sua claritate: sufficit enim ad intellectum diuinum ab humano, omnique possibili alio distinguendum, quia notiones claras habemus tum repræsentationis distinctæ & adæquatæ, tum simultaneitatis, tum (sit venia verbo) omnitatis.

§. VIII.

Nec confusa quoque est; sed in distinctarum numero continetur: notas enim, quibus intellectum infinitum a finito distinguimus, recensere valemus, omnitatem scilicet, simultaneitatem, & distinctionem in percipiendo. Neque est dubium, tribus istis notis comprehendi, quicquid discriminis inter intellectum diuinum atque finitum quemcumque alium intercedit.

§. IX.

Ab adæquatarum tamen numero procul abest: non enim distincte in eadem euoluuntur possibilium omnitas, simultaneitas, et distinctio in percipiendo; quin potius multa in his notionibus inuoluuntur, quæ non clare perspicimus, nedum distincte cognoscimus.

§. X.

Maior adeo lux affunditur notioni nostræ, si distinctius explicetur, *quantus sit possibilium numerus*; quid sibi velit *distincta eorumdem repræsentatio*, & quamnam *vastitatem* requirat *simultaneitas*: id quod obtinebimus naturæ opera attenta mente scrutati.

§. XI.

Cum vniuersum, quod intueri nobis datum, sit series possibilium tam simultaneorum quam successiuorum inter se connexorum: per contemplationem naturæ numerum possibilium quodammodo determinaturis respiciendum est

tum ad *simultanea*, h. e. ad ea, quæ vna in Vniuerso existunt; tum ad *successiua* siue ea, quæ in eodem se inuicem insequuntur. In vtrisque habenda est ratio tam corporum totalium, quam partialium.

§. XII.

Corporum totalium, ex quibus Mundus componitur, numerum immensum ignorauerunt veteres: quem telescopiorum vsus, & Copernici ipsiusque adseclarum in eruendo vero mundi systemate industria, in apricum demum produxit.

§. XIII.

Præter Solem & Lunam nudo oculo obseruantur ex Erronum numero Saturnus, Iupiter, Mars, Venus & Mercurius: fixas vero nudis oculis conspicuas *Ioannes Heuelius*, qui inter obseruatores visus acumine parem vix quemquam habuit, in *Prodromo Astronomiæ fol. 119.* numerat 1888.

§. XIV.

Per telescopia quatuor circa Jouem a *Mario* & *Galilæo*, quinque vero circa Saturnum ab *Hugenio* & *Cassino* detecti sunt planetæ secundarii. Fixarum vero, quæ per hæc instrumenta deprehenduntur, numerum inire nemo mortalium valet. Sane *Hevelius* loc. cit. *Stellarum*, inquit, *nudo oculo inuisibilium & solummodo telescopiorum beneficio deprehensibilium, sunt profecto innumerabiles, non solum in via lactea & inter sidera informium, sed vndique in toto cœlo, nec non in ipsis asterismis, sicuti quilibet vel minimo tubo optico experiri potest: quo tamen præstantiorem & longiorem adhibuerit, eo distinctius & plures diuersissimæ magnitudinis cognoscet.* In nebulosa nimirum *Orionis* telescopio mediocris notæ 21, in nebulosa præsepis 36, in Pleiadibus plures quam 40 *Galilæus* distinxit, & idem intra quatuor graduum quadratorum spatium in *Orione* plures quam 500, in integro sidere *Antonius Maria Schyrlæus de Rheita* fere bis mille numeravit. *Hugenio* stellam mediam in ense *Orionis* inspicienti pro vna duodecim sese obtulerunt. Quæ olim nebulosæ existimaban-

bantur ſtellæ, ipſaque via lactea innumerarum ſtellarum congeries per teleſcopia intuenti comparent; id quod inter veteres coniectando adſecuti fuerant *Democritus apud Plutarchum* de placitis Philoſophorum libr. 3, c. 1. & *Ptolemæus* in Almageſto lib. 8, c. 2.

§. XV.

Noſtro æuo dubio carere videtur, quod a veteribus nonnullis obſcurius indigitatum apud *Plutarchum* loc. cit. lib. 2, c. 13. apertius docuit *Jordanus Brunus* in libro de infinito & innumerabilibus, fixas ſcilicet totidem eſſe ſoles ac tot eſſe ſyſtemata planetaria, quot dantur fixæ, hoc eſt innumera. Quamuis enim hoc *Bruni* dogma ex principiis opticis impugnaverit *Keplerus* in Epitome Aſtron. lib. 1. part. 2. pag. 3, ſqq. in Elementis tamen Aſtronomiæ §. 928. oſtendit Dn. Præſes, virum ſummum a ſolita ſagacitate hac in re defeciſſe, etſi vltro largiamur, in eo a veritate aberrari, ſi ſyſtemata planetaria noſtro ſimilia circa quamlibet fingantur: quemadmodum colligere licet ex iis, quæ *Dauid Gregorius* de diuerſa fixarum magnitudine adparente in Elementis Aſtronomiæ phyſicæ & geometricæ lib. 2. propoſ. 21. fol. 160. adnotavit.

§. XVI.

Quod ſi probabili aliquo calculo ex hactenus dictis numerum aliquem corporum mundi totalium determinare libuerit, quem ob magnitudinem admiremur, iuſto tamen minorem eſſe haud diffiteamur: ita mihi procedendum videtur. Sumo cum *Ricciolo* in Almag. nouo lib. 6. c. 6. f. 413. integrum *Orionis* ſidus occupare in cælo gradus quadratos proxime 500. Quare cum vi obſeruationis *Galilæanæ* (§. 14.) in ſpatio 4 graduum per teleſcopium adpareant ſtellæ 500. erunt in toto *Orione* ſtellæ 62500; ſi ſingulos gradus ſtellis ſimiliter confertos ſupponamus. Jam cum peripheria circuli maximi ſit graduum 360, adeoque diameter 115: reperietur per notiſſima *Archimedis* theoremata integra ſphæræ ſuperficies 41400 graduum quadratorum. In hypotheſi itaque ſuperficiei ſphæræ mundanæ ſtellis ſimiliter confertæ, erit fixarum

xarum numerus 5175000. Etſi autem non omnia circa fixas ſyſtemata planetaria ſint ſimilia (§. 15.) id tamen non obſtat, quo minus interim ponamus, quamlibet fixam inſtar ſolis noſtri ſuo lumine ac calore fouere planetas numero quindecim: quo admiſſo numerus corporum mundi totalium prodibit 77625000, quem, vtut ingentem, a vero adhuc procul abeſſe nobis vtique perſuaſum eſt.

§. XVII.

Duas adſumimus in calculo noſtro hypotheſes, nempe 1. ſingula quatuor graduum ſpatia exhibere per teleſcopium cælum contuenti ſtellas 500. 2. omnia ſyſtemata planetaria eſſe ex ſole vno, planetis quindecim compoſita. Vtrumque demonſtrari nequit, probabilitate ſua tamen non caret. Etſi enim quædam in cælo deprehendantur ſpatia, in quibus pauciores ſtellæ occurrunt per tubum intuenti, quam in iſtis quatuor gradibus quadratis *Orionis*: ſunt tamen etiam tractus inſignes, vbi multo plures deprehenduntur. Teſtem adpello viam lacteam vna cum ſtellis nebuloſis. Deinde cum ſupponimus, omnia ſyſtemata ex ſole vno & quindecim planetis componi, non maiorem in ea ſimilitudinem concipimus, quam in ipſis corporibus totalibus & partialibus eiusdem generis notamus.

§. XVIII.

Cogitandum præterea, vaſtis admodum interuallis a ſe inuicem diſtare corpora totalia. Ex celeberrimi Aſtronomi, *Ioannis Dominici Caſſini* obſeruationibus diſtantia mediocris terræ a ſole eſt 22000 ſemidiametrorum terreſtrium, ſeu 18920000 milliarium Germanicorum, vi parallaxeos 10 ſcrupulorum ſecundorum, quam etiam ſummus in Britannia obſeruator *Flamſtædius* probat, nec iuſto maiorem eſſe pro certo habemus: quare cum diſtantia terræ a ſole ſit ad diſtantiam Saturni ab eadem vt 2 ad 19 diſtantia Saturni a ſole reperitur milliarium 179740000. Porro ob rationem diametri telluris, quæ eſt 1720 milliarium Germanicorum, ad diametrum annuli Saturni vt 1 ad 45 in elementis Aſtronomiæ Dn. Præſidis §. 829. ſtabilitam, diameter huius annuli eſt

77406

77400 milliarium Germanicorum: vnde distantia vltimi satellitis Saturni a centro sui primarii, quæ per obseruationes *Cassini* ad diametrum annuli rationem decuplam sesquialteram habet, est 812700 miliarium Germanicorum. Eam si distantiæ Saturni a sole addideris, prodibit semidiameter systematis planetarii, in quo Tellus locum habet 180552700, adeoque diameter 361 15400 milliarium, quæ multo prodiret maior, si parallaxi solis sex scrupulorum secundorum clarissimi apud Gallos Astronomi *Philippi de la Hire* vti libuisset.

§. XIX.

Ingens admodum spatium inter fixas primæ magnitudinis & Saturnum intercedere extra omne dubium positum est per ea, quæ in Elementis Astronomiæ §. 921. tradidit Dn. Præses. Quamobrem, licet non desint rationes, quæ suadeant, systemata planetaria diuersæ esse magnitudinis; compages tamen eorum iusto haud quaquam euadet maior, si eadem æqualia ponamus. Multiplicemus ergo cubum diametri systematis planetarii per numerum fixarum supra repertum (§. 16.) qui prodit numerus exprimit cubum diametri sphæræ omnia systemata comprehendentis, quæ a nobis per telescopia ordinaria detegi posse probabile est. Enimuero ne multiplicatio nimis molesta fiat, ad contrahendos numeros sumamus diametrum systematis planetarii in diametris terrestribus, quæ secundum hypotheses præmissas reperietur 209904 cuius cubus 9248330500519526 4 ductus in 5175000 producit cubum diametri sphæræ systemata obseruabilia adæquantis 478601103401885491200000 diametrorum terrestrium, quarum vnaquælibet est 508844 8000 milliarium cubicorum. Vnde haud difficulter intelligimus, quam stupendus proditurus sit numerus, si cubus modo repertus per hunc numerum posteriorem multiplicetur, vt idem in milliaribus cubicis habeatur.

§. XX.

Equidem hinc clare intelligitur, quam vastus esse debe-

at intellectus, vt omnia ista systemata vna capere possit, præsertim si perceptio distincta fuerit: quo tamen varios perfectionum gradus, quibus intellectus differre possunt, distincte percipiamus, & inde quodammodo infinitatem intellectus diuini adumbremus, non inconsultum videtur, vt calculis ante positis in rem nostram vtamur.

§. XXI.

Comparemus itaque inter se gradus perfectionis duorum intellectuum, quorum vnus nonnisi tellurem nostram, alter vero integrum systema planetarium vna distincte capere possit. Cum extensiones intellectus sint vt magnitudines spatiorum, in quibus numerus perceptibilium magnitudini proportionalis vna distincte perceptorum; sphæræ autem habeant rationem duplicatam diametrorum: intellectus, qui nonnisi tellurem nostram vna distincte capit, erit ad intellectum, qui integrum systema planetarium vna distincte capere potest, vt 1 ad $\frac{1}{924833050051952 64}$, hoc est intellectus illius erit intellectus huius nonnisi 924833050051952 64 seu fere particula trillionesima. Eodem modo patet, quod intellectus, qui tellurem integram vna distincte capit, sit ad intellectum, qui omnia systemata observabilia vna distincte capere potest, vt 1 ad $\frac{1}{4786011034018854912000 00}$ hoc est, quod ille sit huius nonnisi 4786011034018854912000 00 seu duabus particulis quadrillionesimis æqualis.

§. XXII.

Videamus jam quomodo intellectus humanus se habeat ad duo intellectus genera modo determinata, quæ infinitis adhuc interuallis a perfectione intellectus diuini absunt, quemadmodum mox docebimus. In Elementis Dioptricæ Dn. Præsidis obseruatum est §. 395, quæ ab oculo valen-

valente, qui neque in presbytarum, neque in myopum numero habetur, distincte videntur, octo digitorum interuallo distare debere. In Elementis Opticæ §. 223. demonstratum est, quæ oculus ono obtutu comprehendit, intra ambitum anguli recti contineri. Quare cum ex elementis demonstrari possit (quod hic ob figurarum defectum facere prohibemur) diametrum obiecti sub angulo recto visi esse distantiæ duplam: erit diameter obiecti uno obtutu distincte comprehensi sedecim digitorum. Vis vero visiua in præsenti negotio æquatur vi perceptiuæ: vnde mensuram extensionis intellectus humani habebimus, si sumamus eum esse vt cubum diametri sedecim digitorum, hoc est, vt 4096 digitorum cubicorum.

§. XXIII.

Vir merito suo celeberrimus *Ioannes Dominicus Cassini* iussu Regis diametrum telluris dimensus reperit 39391077 pedum seu 472692924 digitorum. Erit ergo diameter sphæræ metientis capacitatem intellectus humani ad diametrum telluris vt 1 ad 29543308, consequenter intellectus humanus est ad eum, qui integram tellurem vno obtutu distincte capit, vt 1 ad 2578560743112066741 12, hoc est ille huius non-

1

nisi 2578560743112066741 12 seu fere quadraginta particulis quadrillionesimis æqualis. Intellectus eius, qui vno obtutu tellurem distincte capit, est ad intellectum, qui totum systema planetarium comprehendit in ratione subtrillionesima

40

(§. 21.): humanus ergo eiusdem intellectus 1000000000000

000000000000000000000000000000, hoc est, nonnisi quadraginta particulis septillionesimis æqualis. Similiter cum intellectus vna repræsentatione tellurem distincte capiens

 sit

fit duabus particulis quadrillionesimis eius æqualis, qui vno obtutu omnia systemata obseruabilia comprehendit, (§. 21.)

80

humanus 100000000000000000000000000000000000000000

00000000 seu octoginta particulis octillionesimis huius æqualis.

§. XXIV.

Attendentibus adparet, a nobis supponi, intellectus, quibus humanum comparamus, non magis distincte percipere sphæram capacitati suæ conuenientem, quam humanus sphæram diametri sedecim digitorum in distantia octo. Præterea notandum est, nos in comparandis intellectibus, diuerso perfectionum gradu pollentibus, tantum ad vim adprehensiuam attendere, ratiocinatiuam insuper habere: quia in Deo, cuius gratia instituitur hæc comparatio, tantum datur cognitio intuitiua adeoque intellectus finitus cum infinito quoad vim ratiocinatiuam conferri nequeat. Vt vero magis adpareat, quam exiguam eius perfectionis particulam possideat intellectus humanus, qua pollet omnium systematum obseruabilium comprehensor, concipiamus lineam quandam rectam quantælibet magnitudinis, quæ repræsentet perfectionem intellectus systematum obseruabilium comprehensoris. Concipiamus porro eandem diuidi in partes 125000000000000000000000000000000000000000000000000000; erit earum vna index particulæ perfectionis, quæ intellectui humano conuenit. Nempe linea diuidenda est in partes mille: millesima in particulas alias mille: harum millesima denuo in mille, iterum harum millesima in mille; donec scilicet subdiuisio partis millesimæ in mille; ter decies iterata fuerit: quod si tandem vltima millesima particula, quæ ex tot iteratis subdiuisionibus prodit, in 12500 diuidatur, prodibit illa particula intellectus humani index.

XXV.

§. XXV.

Plura omnino, quidni infinities plura ſyſtemata planetaria dantur, quam a nobis obſeruari poſſunt. Ex quo intelligitur, quam vaſtus eſſe deberet intellectus diuinus, ſi ſola actualia ſimultanea non magis diſtincte caperet, quam nos ſphæram capacitatis noſtræ ſupra §. 22. definitam. Actualia vero minima pars eorum ſunt, quæ fieri poſſunt.

§. XXVI.

Mortalium perſpicaciſſimus *Georgius Guilielmus Leibnitius* in præclaro Theodiceæ opere adſumit, non probat, plures mundos eſſe posſibiles: id quod nos ita oſtendimus. Contingentium oppoſita abſolute ſpectata non inuoluunt contradictionem, v. gr. abſolute impoſsibile eſt, vt eo die, quo Halæ cælo ſereno fruimur, pluat: concipi enim poteſt talis cauſſarum nexus, quo non inuito pluuiam ſerenitati ſubſtituere licet. Etſi autem nexum iſtum longius proſequi nobis non detur: ex contingentium tamen indole, alibi diſtinctius explicanda, haud obſcure ſequitur, eundem & quod præterita attinet, & futura, immo & præſentia, eſſe debere infinitum, aut, ſi mauis, indefinitum. Quoniam itaque ſeries plurium posſibilium tam ſimultaneorum, quam ſucceſsiuorum inter ſe connexorum mundus eſt (§. 11.) plures mundos posſibiles eſſe potet. Vnde iam reſpectu nude posſibilium intellectus diuini capacitas vltra eam, quæ actualibus comprehendendis ſufficit, extendenda erit in ratione numeri mundorum posſibilium ad vnitatem.

§. XXVII.

Numerum hunc maiorem eſſe, quam qui a nobis comprehendi posſit, non diffitebitur, quicumque naturam contingentium intimius perſpexerit. Contingentium ſcilicet variationes tum ratione temporis, tum ratione ſpatii infinitæ ſunt. Singulæ autem variationes, quamprimum tempore ac loco definiuntur, pro parte quadam vniuerſi cuiusdam peculiaris habendæ ſunt: id quod præſentis inſtituti ratio vlterius probari nequaquam permittit. Patet inde,

vel hoc solo respectu Intellectum diuinum infinita perfectione superare eum, qui omnia actualia vno obtutu comprehenderet: a quo quod infinitis adhuc interuallis distet humanus, ex superioribus fit manifestum.

XXVIII.

Hæc quidem infinitas ex contingentium indole elucescit: sed non minorem lucem absolute necessaria eidem affundunt, quæ mathematicorum considerationi subsunt, & in quolibet mundo possibili eadem sunt, cum contra in quouis varient contingentia. Quam infinitæ hic sese offerant infinitarum serierum series; quam infinitæ infinitorum generum figurarum familiæ; non ignorat, qui sublimiora matheseos vel primis labris degustauit. Ex. gr. Cuiuslibet numeri dantur radices irrationales infinitæ, quarum vnaquæque per infinitas fractionum series infinitis modis exponi potest, ab intellectu finito nullo comprehendendas, qui nonnisi aliquas seriei partes indagare valet. Præterea infinitis modis exhiberi possunt series numerorum infinitorum, siue integrorum, siue fractorum, numero cuicumque dato æquales. Immo cuiuslibet numeri dantur valores numero infiniti per communes Arithmeticæ operationes ex numeris finitis compositi. Cum adeo vnus numerus infinities infinita contemplanda exhibeat: quantus esse debeat intellectus, qui infinitorum numerorum symptomata, non sine infinitate intellectus comprehendenda, vno obtutu capit, quiuis facile intelligit. De curuis ex Geometria breuitatis gratia nihil adiicimus.

§. XXIX.

Ceterum tam curuæ, quam numeri eandem præstant vsum in diuersis perfectionum intellectuum possibilium gradibus determinandis, quem nobis supra corporum mundi totalium ipsorumque systematum planetariorum pluralitas præbuit. Immo, qui iudicii mathematici acumine pollet, multo euidentius per numeros & figuras consequetur, quod supra per entium realium contemplationem docere ad-

adgressi fuimus. Specialiora in medium proferri breuitatis studium prohibet.

§. XXX.

Antequam tamen ad alia digrediamur, difficultati cuidam satisfaciendum est, quæ rectum numerorum & figurarum in præsenti negotio vsum morari posset. Videri scilicet poterat, eam esse vim intellectus humani, vt infinita, immo infinities infinita capere possit. Nimirum in seriebus illis, quas infinitas speciali ratione adpellant Geometræ moderni, capimus progressum in infinitum. Ex gr. si quadratum diametri sit 1, & terminus seriei primus A, secundus B, tertius C, &c. ostendi potest, seriem pro circulo esse, $1 - \frac{1}{2.3} A - \frac{3}{4.5} B - \frac{5}{6.7} C - \frac{7}{8.9} D - \frac{9}{10.11} E$, & sic infinitum. Hic nobis videmur infinitam seriem vno obtutu comprehendere. Enimuero si rem curatius pensitemus, patebit, nos non ipsam seriem, quæ infinita est, sed legem progressionis in infinitum, quæ finita notione absoluitur, capere. Qui enim ipsam seriem comprehendit, singulos sibi terminos, ex quibus constat, vno actu præsentes exhibet, singulorumque notas, quibus vnus ab altero distinguitur, discernit: at qui legem progressionis in infinitum percipit, nonnisi similitudinem ortus termini sequentis ex proxime antecedente symbolice sibi repræsentat, quæ his verbis exprimitur: *Terminus sequens est factum ex præcedente in fractionem, cuius numerator est numerus impar, proxime sequens numeratorem antecedentis termini, denominator vero producitur ex numero pari & impari, in serie numerorum naturali numeratorem præsentis termini proxime sequentibus.* Eodem modo res se habet, si ope signorum numerorum indeterminatorum infinita vno obtutu comprehendenda exhibemus, veluti dum vna æquatione algebraica infinitarum curuarum specie differentium indolem repræsentamus. Tum enim curuas infinitas simul comprehendit, qui singulas per ideas pro-

proprias vna ſibi ſiſtit præſentes, easque a ſe inuicem diſcernit: analyſta vero ſimilitudinem notarum characteriſticarum, quibus infinitæ curuæ diſcernuntur, per ſymbola ſibi repræſentat.

§. XXXI.

Quod ſi ad corpora partialia in Vniuerſo cum actuali, tum in poſſibilibus deſcendimus: numerus tam actualium, quam nude poſſibilium augetur non in ratione numeri ſpecierum, ſed indiuiduorum; immo in ratione numeri eorum, quæ in his a ſe inuicem diſtinguimus. Quam ſtupendus eſſe debeat horum numerus, cuilibet ſtatim obuium eſt. Quot enim folia, quot gemmas vnica habet arbor? quot fibras, quot vtriculos habent radix, truncus atque rami? quot ergo habebunt omnes vna in Vniuerſo exſiſtentes? Quot quæſo ovula deprehenduntur in piſce vno? quot ergo in omnibus, in aquis vniuerſi natantibus? Ex quot quæſo partibus componitur corpus vnius animalis, vnius hominis? ex quot fibris vnicum ex viſceribus, muſculus vnicus, os vnicum coagmentatum? Quot ergo erunt partes, quot fibræ in omnibus animantibus, cunctisque hominibus vniuerſum incolentibus? Singula autem multiplicari in intellectu diuino ratione mundorum poſſibilium, ex ipſa ejus notione (§. 5.) patet.

§. XXXII.

Enimuero extricanda hæc paullulum ſunt ex ea, in qua adhuc conſtituuntur, confuſione. Sumamus ex gr. arborem, per cuius contemplationem gradum perfectionis intellectus humani determinemus, aliosque maiores diſtincte quodammodo percipiamus. Ponamus oculum ita conſtitui in ſublimi, vt directe opponatur furculo gemmis onuſto. Cum partium minimarum, veluti gemmarum viſio magis diſtincta ſit in diſtantia breuiori, quam longiori, minor tamen adſumi non poſſit quam octo pollicum: longitudo partis viſæ erit digitorum ſedecim: (§. 22.) quæ quam exigua totius arboris pars ſit diſtinctius patebit, ſi ſingulos furculos atque

que ramos tam trunci, quam radicis, ipsumque etiam truncum secundum eandem rectam extendi cogitemus. Non adeo procera erit arbor, vbi octo digitorum longitudo vix millesima eius pars erit, in quam ex hypothesi nostra integra arbor diuisa adparet. Vnde elucet, capaci-

1

tatem intellectus humani esse nonnisi 1000000000 seu particulam millesimam vnius myriadicæ illius, qui integram arborem vno obtutu æque distincte comprehenderet, ac humanus exiguam quandam eius partem. Et hinc gradatim licet adscendere ad maiores capacitatis gradus, donec magnitudine perculsi in immensum intellectus diuini Oceanum præcipites demus.

§. XXXIII.

Non licet hæc fusius persequi: properandum igitur est ad eorum considerationem, quæ ex successione rerum enascuntur. Omnia in vniuerso mutationi continuæ esse subiecta, experientia loquitur. Sol & fixæ per vasta admodum interualla singulis momentis radios euibrant; quo ipso innumeræ ætheris particulæ variis celeritatis gradibus commouentur. Cum mens humana nonnisi vnicam ætheris particulam ad motum concitatam distincte sibi queat repræsentare; intellectus vero diuinus singulas in omnibus momentis conceptibilibus per omnia systemata siue actualia, siue possibilia vno obtutu comprehendat: quod intellectus diuinus non vno infinitatis gradu humanum excedat, infinities euidentius nunc constat, quam ex superioribus. Sunt enim particulæ ætheris adeo exiguæ, vt vna earum nec qui-

1

dem 30000 minimi puluisculi nudo oculo discernibilis adæquet, quoniam nec per microscopium augens obiecta in ratione 30000 ad 1 (quale fuit illud *Eustachii Diuini* apud

Franciſcum Tertium de Lanis in magiſterio naturæ & artis, tom. I. fol. 2. videri poſſunt. Quoniam itaque in eo ſpatio, quod minimus puluisculus nudo oculo ægre diſtinguendus occupat, vltra 30000 particulæ æthereæ locum habere poſſint, quam innumeræ earum in ſyſtemate planetario noſtro, quod ex datis ſuperioribus (§. 19.) 246547502750275 7868983498133 33 milliarum cubicorum reperitur, exſtare debeant, quodammodo intelligitur. Tam ſtupendus autem numerus, quem diſtinctius exhibere calculi nimis prolixi tædia prohibent, in ratione numeri ſyſtematum actualium atque poſſibilium, hoc eſt, infinities augetur.

§. XXXIV.

Errones ſingulis momentis cum vi motus proprii, tum vi motus vertiginis partium ſitum erga ſingula corpora totalia actu mutant, & in ſyſtematibus poſſibilibus mutare intelliguntur. Intellectus humanus nonniſi vnius planetæ diſtantiam in dato tempuſculo vnico actu concipere valet a corpore vno. Quare cum diuinus omnium variationes poſſibiles in omnibus momentis conceptibilibus vno actu diſtinguat, infinita perfectio, qua iſtum antecellit, denuo in apricum prodit.

§. XXXV.

Quod ſi ad corpora partialia digrediamur, infinitus ille mutationum numerus, quem corpora totalia per infinita temporum interualla offerunt, in ratione numeri non modo omnium corporum partialium, tam actualium, quam poſſibilium, ſed ſingularum etiam partium, quæ vel per optimum microſcopium diſtingui poſſunt, multiplicatur.

§. XXXVI.

Succeſſiuorum numerus diſtinctius percipitur, ſi momenta temporis cogitemus, quæ nos a ſe inuicem diſcernere valemus. Diſcernuntur autem tempuſcula ope mutationum in corpore quodam ſiue naturali, ſiue artificiali factorum

rum: neque enim tempus eſt, niſi ordo ſucceſſiuorum. Minimum eorum, quod horologium indicat, eſt ſcrupulum ſecundum, ſeu horæ pars 3600, quorum adeo integra dies eſt 86400, tempuſculo propemodum æquale, quo vnicus arteriæ pulſus abſoluitur. Cum nos nonniſi vnicam mutationem vna diſtincte, vel ſaltem clare, percipere valeamus, intellectus noſter nonniſi $\frac{1}{86400}$ eius foret, qui vnius iſtius obiecti per integram diem repetitas mutationes, v.g. omnes arteriæ pulſus, vna diſtincte percipere poſſet. Porro annus Aegyptiacus dierum 365 continet ſcrupula ſecunda 31536000: anni autem 6000 continent eorum 189216000000, Intellectus adeo humanus eſt nonniſi $\frac{1}{189216000000}$ eius, qui omnes mutationes in minimo quodam ſpatiolo ab initio mundi ſecundum communem computum ad præſens vsque tempus vno obtutu caperet. Quod ſi iam nunc momentorum numerum per vaſta iſta vniuerſi ſpatia multiplices, quibus in ſuperioribus vſi ſumus, multo euadet minor intellectus noſtri ad eum, qui prodit, ratio. E. g. ſuperius euicimus (§. 23) intellectum humanum eſſe omnium ſyſtematum obſeruabilium comprehenſoris, ſi tantum ſimultaneorum habeatur ratio, octoginta particulis octillioneſimis æqualis. Si ergo ad tempus ab initio mundi iuxta epocham communem circiter elapſum, 6000 nempe annorum, vna libet reſpicere, ſupponendo intellectum, qui mutationes ſex mille annorum ſpatio in omnibus ſyſtematibus obſeruabilibus factas eadem euidentia ſibi repræſentet, qua intellectus humanus id dignoſcit, quod in ſpatio 4096 digitorum cubicorum collocatur, prodibit humani ad eum ratio vt 1 ad 236520000000000000000000000000000000000000000000000000000. Etſi autem ingens hic numerus per numerum omnium ſyſtematum poſſibilium multiplicaretur, quem ma-

iorem esse, quam qui a nobis fingi queat, pro certo habemus: qui prodiret minor tamen foret, quam qui rationi diuini ad humanum determinandæ sufficeret: id quod tum ex præsentibus attento lectori adparet, tum ex mox sequentibus luculentius adhuc constabit.

§. XXXVII.

Nimirum probe considerandum est, temporis scrupulum secundum haud quaquam esse minimum momentum, quod successiuis a se inuicem discernendis sufficiat. In Hist. Acad. Reg. Scientiarum anni 1711. num. 6. obseruationum ad Physicam generalem spectantium, p. 23 *Delisle* refert, se per microscopium obseruasse exiguum quoddam insectum, quod millies pedem mouerit interuallo vnius scrupuli secundi. Vi ergo eorum, quæ de natura temporis §. præc. dicta sunt, millesima tempusculi pars, quo vnius arteriæ pulsus absoluitur, adsignari potest: vt adeo hora in 3600000 partes adsignabiles a nobis diuidi posse extra omnem controuersiam ponatur. Quod si calculis probabilibus locum concedamus, numerus partium adsignabilium vnius horæ multo adhuc maior euadet. Nec supereſt dubium, quin intellectus humano perfectior, nedum diuinus, partes temporis multo minores adsignare valeat.

§. XXXVIII.

Eadem de spatio notanda sunt. Minimum, quod in calculis superioribus adsumsimus, fuit sphæra diametri sedecim digitorum: quod quanto interuallo a minimo adsignabili distet, obseruationes microscopicæ docent. Quoniam spatium non est nisi ordo simultaneorum, pars eius adsignabilis, quam corpusculum aliquod in natura obuium replere intelligitur. Quare cum *Keilius* in introductione ad veram Physicam p. 51. ostenderit, globulum vnum sanguinis, qui circulatur in animalculis a *Leuwenhockio* in animalium semi-

8

ne detectis, minorem esse partibus digiti cubici 100000000

000

000000000000000000000000 erit ſpatii pars adſignabilis

1

1250000000000000000000000000000000 eius ſphæræ, quæ tanquam minimum ſpatiolum ſuperius a nobis adſumta fuit.

§. XXXIX.

Ad definiendas ſpatii partes adſignabiles porro faciunt ea, quæ paſſim auctores de ſtupenda materiæ diuiſibilitate tradunt. Huc ſpectant, quæ *Franciſcus Tertius de Lamis* loc. ſup. cit. habet. Sed cum partes non minores prodeant iis, quas modo determinauimus, vt eisdem inhæreamus, operæ pretium non videtur.

§. XL.

Quod ſi numerum partium adſignabilium ſpatii in numerum partium adſignabilium temporis ducamus: illico conſtabit, quotnam contemplanda exhibeat exiguum quoddam ſpatium intra ſpatium ſex mille annorum. Vnicum ſcrupulum ſecundum componitur ex partibus adſignabilibus 1000 (§. 37) anni Aegyptiaci 6000 ex 189216000000 ſcrupulis ſecundis conſtant. Spatium ergo 6000 annorum Aegyptiacorum habet 189216000000000 partes adſignabiles. Quare cum vnus digitus cubicus habeat partes adſignabiles 1250000000000000000000000000000000, ſpatium vnius digiti cubici interuallo 6000 annorum cognoſcibilia offert 2365200000000000000000000000000000000000000000, etiamſi ſupponamus in parte Vniuerſi adſignabilium minima, intra ſcrupulum temporis adſignabile minimum, nonniſi vnicum cognoſcibile offerri.

§. XLI.

Atque horum conſideratio diſcrimen manifeſtat inter cognitionem actualium humanam atque diuinam. Si vero cogitemus numerum modo repertum multiplicari per omnes partes adſignabiles minimas vniuerſi cum actualis, tum omnium poſſibilium, euidentius conſtabit, quam procul a diuino diſtet

intellectus humanus: Quoniam enim Deus omnia distincte cognoscit, necesse est, vt discernat a se inuicem cum omnes partes adsignabiles spatii, tum etiam temporis.

§. XLII.

Notandum vero, ad distinctam rerum cognitionem spectare etiam ea, quæ sub conditionibus numquam implendis vi naturæ existere possunt. Exemplo sit multiplicatio frumenti possibilis ex vnico granulo. *Dodartus* in commentariis Academiæ Regiæ scientiarum a. 1700. p. 203. refert, se vidisse plures quam centum aristas ex vnico seminis granulo enatas. Dn. Præses, qui iteratis cum cura experimentis, veram huius causam detexit, ostensurus est alibi, vt plures quam centum aristæ ex quouis granulo educantur, in naturæ potestate positum esse. Ponamus itaque in vna arista contineri grana nonnisi 20, etsi experientia non inuita liceret adsumere 40. Vnum ergo granulum vno anno producere valet 2000. vnde duobus annis 4000000; & hinc spatio 6000 annorum Ægyptiacorum numerus foret omni-

$$2000 \quad \overset{2001}{--} 2000,$$

um granorum 1999, quem numerum prorsus stupendum esse experietur, qui laborem calculi hic tantum indicati subire voluerit. Adparet adeo quam multa cognoscibilia intra sex mille annorum spatium vnicum suppeditet frumenti granulum, etiamsi non maior claritas & distinctio supponatur, quam est in cognitione humana. Huc spectant, quæ *Dodartus* loc. cit. p. 175. sqq. de multiplicatione corporum viuentium in foecunditate plantarum expensa tradidit. Nec minus notatu digna occurrunt circa foecunditatem animalium possibilem, præsertim piscium. Neque hic negligenda sunt, quæ iam supra de spatii ac temporis partibus minimis adsignabilibus adnotata sunt (§. 40.)

§ XLIII.

Inprimis autem considerari meretur, quod in omni mun-

mundo tam actuali, quam possibili, omnia sint inter se connexa cum spatii respectu, tum temporis. Si enim spatium spectes, vnumquodque corpus pendet a contiguitate aliorum: sin tempus, vi naturæ status præsens rerum sequitur ex antecedente. Qui adeo adæquate minimum in vniuerso videt, is omnia videt in vno. Vnde iam constat, intellectum diuinum toties sibi exhibere vniuersum vnumquodque, quot in eo spatii ac temporis particulas discernibiles concipere licet: id quod & *Leibnitius* in præclaro *Theodiceæ* opere peruidit, etsi non probauerit.

§. XLIV.

Hæc ad institutum nostrum sufficere arbitramur, vt adpareat, quomodo notiones perfectionum diuinarum per contemplationem naturæ clariores & distinctæ magis fieri possint. Quod si vero quidam hebetiores fuerint, quam vt veritates a nobis propositas capere valeant, eorum vnicuique suademus, (liceat enim nobis vti verbis *Kepleri* parumper immutatis, quibus ipse in simili casu vsus est in præfa„tione ad commentarium de motibus stellæ Martis,) vt missa „schola Philosophica, damnatis etiam, si placet nostris & „quibuscunque aliis Philosophorum placitis, suas res agat, o„culisque quibus solis videt, in hoc adspectabile cœlum sub„latis, toto pectore in gratiarum actionem & laudes Dei con„ditoris effundatur, certus se non minorem Deo cultum „præstare, quam Philosophum, cui Deus hoc dedit, vt mentis oculo perspicacius videat. Nimirum ardor in cultu Numinis non cognitionis claritati ac distinctioni, sed eius certitudini, seu gradui conuictionis nostræ de perfectionibus diuinis proportionatur: idem tamen conuictionis gradus locum habere nequit penes acutiorem & hebetiorem, nisi is distinctius, quam hic perfectiones diuinas, cognouerit.

FINIS.

Corollaria.

I Spatium non eſt ens reale abſolutum, nec tamen idem cum corporibus, quod Carteſiani volunt.

II. Omnium rerum triplex datur cognitio, hiſtorica, ſcientifica, mathematica, hæcque perfectiſſima omnium.

III. Conuenientia cum ſenſu eſt obſcurum & fallax criterium veritatis.

IV. Fieri non poteſt, vt duo indiuidua ſimilia in natura exiſtant.

V. Colores corporum permanentes non debentur ſoli reflexioni, ſed potiſſimum etiam refractioni: quod hactenus non attenderunt Phyſici.

VI. Generatio animalium & plantarum non eſt niſi euolutio præexiſtentis organici.

ERRATA.

p. 4. §. 6. lin. 12. l. matheſeos. p. 10. §. 21. lin. 17. l. 1. p. 13. §. 26. lin. 1. l. Gothofredus Guilielmus. ibid. lin. 5. l. non abſolute, lin. 15. l. patet. p. 14. §. 29. lin. 1. l. eundem.

Hochwerther Freund / Du legst von deinen muntern Fleiß /
Von kluger Wissenschafft und von gelehrten Sachen /
Die Dich bey aller Welt beliebt und herrlich machen /
Ein schönes Zeugniß ab zu deinen höchsten Preiß;
Du disputirst mit Ruhm aus der Minervæ Lehren /
Die werden auch hinfort Dein Glück und Ruhm vermehren.

Der Künste Honigseim / so Du den Bienen gleich /
Gesamlet durch die Müh auf Friedrichs Musen-Tempel.
Dein Wandel ohne Falsch / Dein Tugendreich Exempel /
Zeigt / daß dein kluges Haupt von Weißheits Schätzen reich;
Und wie Dein Zweck hier ist: GOtt und der Welt zu dienen /
So wird auch künfftig Dir des Ruhmes Ephey grünen.

Mein Wunsch ist: Alles sey hier auf Dein Wohl bedacht /
Das Glücke sey Dir hold / es diene Dir die Ehre /
Und wann Du einsten treibst die süsse Himmes-Lehre /
So sey für deinem GOtt und Menschen werth geacht;
Was Weisen nützlich ist; was Kluge kan vergnügen /
Das müsse ewiglich in Deinem Hause liegen.

Hierdurch wollte seine schuldigste Gratulation abstatten / alles Vergnügen anwünschen / und sich zu geneigten Aydencken recommendiren

J. G. Neukirch. Phil. Mag. & J. V. C. Do-

Dotibus ingenii Te, Weismüllere, beauit
Summus donorum fons & origo Deus.
Inter multa potest hæc Dissertatio docta
Testis stare loco, sed mihi id ante patet.
Hinc neque non potui, Carissime, semper amore
Hoc Te complecti, qui mihi mente sedet.
Gratulor ergo Tibi conatus laude ferendos,
Successus cœptis det Deus ipse bonis.
Gratia sancta Dei naturam dirigat vsque,
Scilicet hæc eius lumine semper eget.
O perquam felix, dono qui gaudet vtroque!
Ex tali nexu prospera quæque fluunt.

M. LEV. KAGEL. Gardeleg. Marchicus.

NOscitur ex factis Summi Existentia rebus,
Testantur, quantus, quisque sit ipse Deus,
Ordo jubet Musas sic pertractare sacratas,
Exque suis factis noscere rite DEum.
Hinc minime vulgus sectaris, suauis Amice!
Sic Tibi strata magis redditur illa via.
Vndique consensus pulchros mirabere rerum,
Sic bene cognosces pascere pastor oves.
Euge! Deus fer opem: ventos concede secundos
Ut properans habeat vela secunda ratis.
Flamen, qui firmat fidos adflatque ministros
Præsentem firmet, præparet: hæcce vovet

Nobilissimo ac præstantissimo Viro Juveni Respondenti, Amico suo dilectissimo,

JOH. RICHARD.

Wenn

WEn selbsten die Natur zum Musen Sohn erkohren
Den will Minerva auch mit Ruhm bekröhnet sehn/
Wen unverdroßner Fleiß zum Lernen angebohren
Der soll in Pindus Schaar auf dem Parnasse stehn:
Des Phöbus munters Chor soll ihm mit Lobe zieren/
Und Fama seinen Ruhm biß an die Sterne führen.

Daß kan ich/ **Werther Freund**/auf Dich mit rechte ziehen/
Dein Fleiß und kluger Witz ist jederman bewust;
Es rühmt ja wer Dich kennt/ Dein eifriges bemühen/
Was andern schwer ankömt/ begreiffestu mit Lust:
Und zeigest itzo schon so wunderschöne Proben/
Wie wird der Fortgang nicht die weitren Früchte loben!

Also wollte seine billige Freude und Hochhaltung bezeugen des Herrn Respondenten verbundenster

H. A. VELTHEM. Stud. Med. Alsleb. Magd.

SCandis Apollineam Cathedram, plaudentibus ecce
Musis; nec paruum, quod meditaris, opus
De quo conatu toto tibi pectore grator,
Qui nunc ex studiis præmia læta capis.
Accipe, quæ ferimus, vultuque ad gaudia verso
Surripias Musæ tempora pauca tuæ,
Sit tibi multus honosque canet Tibi Fama triumphos,
Sit sine fine decus, nec sine fruge labor.
Ipse DEus faveat, rumpantur vtilia Momo!

Nil melius poterunt addere vota Tibi.
Hinc precibus poſcam, memori me mente teneto,
Tunc ego non potero non memor eſſe Tui.

Pauca hæc Nobiliſſimo ac Doctiſſimo Domino Reſpondenti apponere voluit, debuit:

J. G. ROESER. Roſenfelda Francus.

MAximus eſt certe magni moderator Olympi
Maxima ſunt noſtri facta ſtupenda DEI.
Propterea quisquis perfecte ea noſſe laborat,
Continuo felix atque beatus erit.
Hæc etenim nobis diuina ſcientia monſtrat,
Quam vilis ratio noſtra ſit atque leuis.
Inſtruit hæc animum, qua ſit ratione ſtudendum,
Vt propior menti Numinis eſſe queat.
Hunc callem cum ſis, frater dilecte, ſecutus,
Atque modum ſtudiis legeris huncce tuis:
Inſignem impones ſtudiis iuſtamque coronam,
Præmia ſic tandem digna laboreferes.

Dilectiſſimo fratri gratulabundus adjecit.

J. MAURITII.

SPECIMEN
PHYSICAE AD THEOLOGIAM NATVRALEM ADPLICATAE, SISTENS NOTIONEM INTELLECTVS DIVINI
PER
OPERA NATVRAE ILLVSTRATAM,
QVOD
IN ALMA FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO CAROLO
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENB.
RELIQUA.
PRAESIDE
CHRISTIANO WOLFIO
S. R. MAI. BORVSS. CONSIL. AVL. MATHEM. ET PHYS.
PROF. PVBL. ORD. SOCIETATVM REGIARVM
BRITANNICAE ET BORVSSICAE
SODALI,
Die VII. Augusti A. MDCCXVII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
SIGISM. FERDINANDVS Weismüller/
Onoldo Franc.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITERIS JOH. CHRISTIANI ZAHNII, Acad.
& Senat. Typogr.